

lantiam, in Juribus item et immunitatibus suis protegendis, conservandis, et incrementandis clementiam venerabundis animis volventes, primique aliunde, pro tenore Articuli 7. Congregationis Zagrabiae Anni 1712 die 9. Martii celebratae, Jus et Successionem Augustissimi faeminei Sexus Austriaci acceptantes et agnoscences, altissime memoratae Sacrae Regiae Majestati omnem fidem et fidelitatem, hactenus semper Augustissimae Domui Austriacae illibate servatam, ac deinceps etiam semper et in aevum sacro sancte et incontaminate servandam deuoyent, cumque omni subditali devotione altissimis clementissimisque Suae Sacrae Reginalis Majestatis Jussis et Imperiis sese ultro submittunt et subiiciunt, firmissimam sibi, de Regia, et in prenotatis Intimatoriis, in Archivo suo inter specialia Regni hujusce privilegia perpetuo asservandis ac praesenti quoque prothocolo inserendis clementissime expressam Reginalis Suae Majestatis clementiae spem polientes, quod Jura, praerogativas, immunitates, et privilegia sua, a Divis olim Hungariae Regibus, ipsisque Regiae Suae Majestatis gloriosissimis ex Domo Austriaca praedecessoribus, clementer ellargita, ubi favente occasione pro Diplomatica eorundem confirmatione ad Suam Sacram Regiam Majestatem supplices recursum fecerint, confirmare dignabitur.

Articulus Vigessimus Octavus.

Benignissimi Suae Sacrae Regiae Majestatis in Articulo Secundo Specificati Intimatori tenor talis est.

Maria Theresia, Dei gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae ac Slavoniae; Archi-Dux Austriae etc. nupta Dux Lotharingiae, ac Barri, Magna Dux Heltruriae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici, item Egregii, et Nobiles, nec non prudentes, ac circumspecti, Fideles nobis dilecti.

Posteaquam divinae potentiae, ejusque inscrutabili providentiae, cujus nutui et moderationi cuncta sunt subjecta, juxta universale Decretum super genus humanum editum, Sacratissimum Principem Romanorum Imperatorem, ac Germaniae, Hyspaniarum, Hungariae item ac Bohemiae Regem, Dominum Carolum, gloriosissimae reminiscentiae Genitorem Nostrum desideratissimum, die 20. modo labentis Mensis Octobris, ex hoc transitorio saeculo ad beatae immortalitatis quietem transferre visum fuisset: Intermittere nolimus, quin tristem hunc, qui nobis communiter accidit, casum, fidelitatibus quoque Vestris dolenter significaremus; et quia post luctuosum hunc eventum Nos, velut immediata ejusdem quondam Domini et genitoris Nostri Haeres et Successor horum quoque Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regimen, dictamine publicandarum Patriae Legum, signanter primi et Secundi Articuli in Anno 1723 Diaetaliter conditorum, feliciter simus auspicatae, illudque suscepimus, et memoratis quoque Nostris, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnis gubernandis altissimas admoverimus manus: Ea propter Fidelitates vestras harum Serie Regia Nostra adhortamur clementia, quatenus homagialis obligationis Suae memores, debita quaevis fidelis obsequia, quemadmodum pientissimae memoriae antecessoribus Nostris laudabiliter et omni zelo praestitistis, etiam nobis, tanquam legitime jam constitutae Reginae ac Dominae, haud minori quam reliqua Regna, et Provinciae Nostrae haereditariae devotione, intemerataque fidelitate promptissime demonstrare ac exhibere